



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Eidem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

immolari unde præjudicium ei & nobis posset opprobrium provenire; sed usque ad terminum constitutum & ultra etiam curabimus expectare, processuri auctore Domino sicut fuerit procedendum. Credimus tamen quod utilitati tuæ potius expediret ut sub manu nostra te humiliare curares, quæ non solum fortis & potens, sed ampla etiam est & larga, de facili valens sic humiliare superbum sicut humilem exaltare ac singulis reddere secundum exigentiam meritorum, devotis & obedientibus gloriam, indevotis autem & inobedientibus pœnam, cum diversis modis in multis locis & variis causis nostrum possimus beneplacitum adimplere. Quapropter si nos in eo placare satageres in quo nos offendere attentasti, ut ad illius auxilium & favorem prompta devotione redires à cuius auxilio & favore indecoro spiritu recessisti, spes tibi non incerta daretur ut quo cecidisti resurgeres, & si non ad illum in quo alius est locatus, ad alium tamen gradum in quo alius est locandus, & nos interim faceremus tibi honorabiliter provideri ad nostrum & ipsius honorem efficaciter intendenti. Inspiret igitur cordi tuo ille qui ubi vult spirat spiritus veritatis, ut sanum amplectens consilium, animam simul & corpori sine dubitatione salubre illud agere studeas per quod divinam & nostram gratiam merearis, pro certo confidens quod illius parati sumus vestigia imitari qui dicit: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Alioquin non nostræ duritiæ sed tuæ poteris imprudentiæ imputare, si novissima tua sient pejora prioribus, dum sanis consiliis refugis acquiescere ac justis persuasionibus consentire. Datum Ferentini x. Kal. Novembris, pontificatus nostri anno undecimo.

## Patriarchæ Aquilegensis.

Epist. 167.

**L**icet post necem illustris memorie Philippi Ducis Sueviæ super negotio imperij beneplacitum nostrum tibi pluries curaverimus intimare, quia tamen iteratò illud per nostras litteras tibi postulas aperiri, cum Ecclesiæ tuæ possit ex hoc dispendium imminere si nescias in quam partem debeas declinare, fraternitati tuæ præsentium insinuatione clarescat quod cum per Dei gratiam sumus super petram solidam stabiliti, in eodem in quo & prius proposito permanemus. Quocirca fraternitatem tuam rogamus attentius & monemus, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo adhareas, eique assistas viriliter & potenter. Datum Laterani xiv. Kal. Septembris, pontificatus nostri anno undecimo.

Illustri Regi Ottoni  
in Imperatorem Romanorum electo.

Epist. 168.

**L**icet per dilectum filium magistrum Henricum sancti Geronis Scholasticum generales ad omnes Principes & speciales ad multos jam dudum litteras direxerimus, quales tuæ promotioni novimus expedire, quia tamen postmodum quamplures eorum nos consulere curaverunt cui malleus eos super imperio adharere, quosdam per iterata scripta fuimus exhortati, videlicet Aquilegensis Patriarcham, Mag-

Tom. I.

deburgensem Archiepiscopum, Adolphum quondam Coloniensem, Spirensis Episcopum, Regem Boemiarum, Austriæ ac Zaringiæ Duces, & quosdam alios, ut tibi potenter faveant & patenter, in iis & aliis satagentes honorem tuum indefessa sollicitudine promovere. Quocirca serenitatem regiam monemus attentius & hortamur quatenus prima, media, & novissima tua bona soli altissimo ascribendo, talem circa singula studeas te habere quod honoris tui processus, qui operante divina gratia & nostra cooperante sollicitudine prospere jam dirigitur, feliciter consummetur, de plenitudine gratiæ nostræ securus quod ad omnia quæ tibi noverimus expedire diligens studium impendemus & operam efficacem. Datum Laterani 11. Non. Decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

## E I D E M.

**C**um de matrimonio contrahendo inter te ac primogenitam quondam Philippi Ducis Sueviæ in nostra præsentia tractaretur, tuis & ipsius consentientibus nentis ita providimus ut potestatem dispensandi super linea consanguinitatis, quæ te ac illam contingit, committeremus Legatis qui erant in Theutoniâ regressuri. Licet autem eodem Duce defuncto dispensandi necessitas ex majori parte cessaverit, quia tamen adhuc ad illam aspiras, sicut per tuas nobis litteras intimasti, nos ex illa gratia speciali quam ad tuam regalem personam & habuimus & habemus, quod tunc circumspicte deliberatione providimus, etiam nunc provida circumspicte volumus adimplere, committendo Legatis nostris duobus vel uni, quos aut quem ad præsentiam tuam pro negotiis Ecclesiæ ac imperij proposuimus destinare, ut si urgens necessitas vel evidens utilitas postulaverit, super hoc auctoritate nostra dispensent. Datum Laterani Non. Decembris &c. *ut in alia.*

## Spirensi Episcopo.

Epist. 170.

**G**ratum gerimus & acceptum & tuam in Domino prudentiam commendamus quod pro reverentia beati Petri & nostra carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo disposuisti firmiter adharere ipsique imperialia insignia resignare. Super eo verò quod de conjugij conjuramento scripsisti hoc tibi duximus rescribendum, quod per Legatos nostros, quos disposuimus in Theutoniâ destinare, tuæ fraternitati curabimus plenariè respondere, parati semper efficere quæ tibi proficiant ad commodum & honorem in devotione ac fidelitate sedis apostolicæ permanenti. Datum Laterani 11. Non. Decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

## Nobili viro Duci Zaringiæ.

Epist. 171.

**E**x affectu sinceræ dilectionis & gratiæ quem circa tuam personam gerimus provocamur ut, cum carissimus in Christo filius noster illustris Rex Otto in Imperatorem Romanorum electus magnificè jam procedat de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, consilium tibi demus quatenus ei firmiter adharendo, potenter sibi faveas & patenter; quo-

DD ddd ij